

INCLYTUM  
PATRIS PATRIÆ  
INSTAR,

IN  
REVERENDISSIMO QVONDAM ET SERE-  
NISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. MAURITIO,**  
DUCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC  
MONTIUM, PRÆSULATUS NUMBURGEN-  
SIS ADMINISTRATORE POSTULATO, LANDGRAFIO THU-  
RINGIÆ, MARCHIONE MISNIÆ, ET UTRIUSQUE LUSA-  
TIÆ, COMITE PRINCIPALI HENNEBERGICO, COMITE  
MARCÆ ET RAVENSBURGI, DYNASTA RAVENSTEI-  
NII, BALIVIÆQVE THURINGIACÆ  
VICARIO,

ORATIONE PARENTALI  
OSTENSUM

AD CUJUS  
GRATIOSAM BENEVOLAMQVE ET  
FREQUENTEM AUSCULTATIONEM  
ILLUSTRISSIMUM COMITEM AC  
DOMINUM,

**DN. HEINRICUM QVARTUM,**  
JUNIORIS LINEÆ RUTHENUM, COMITEM AC DOMINUM  
A PLAVIA, DOMINUM IN GREIZA, CRANNICHELDA,  
GERA, SCHLEIZA ET LOBENSTEINIO,  
UT ET

PLURIMUM VENERANDOS  
DNN. INSPECTORES,  
OMNESQVE, QUI GERÆ DEGUNT, VIROS ERUDITISSI-  
MOS, SPECTATISSIMOS, PRÆSTANTISSIMOS,  
*humilitate, observantiâ & humanitate, quâ decet ac par est,*

INVITAT  
**M. JO. FRIDERICUS KOEBERUS,**  
illustris Ruthenei RECTOR.

Pietate verò isthâc defungetur  
**JO. CHRISTOPHORUS Frauendorff/**  
NUMBURGENSIS,  
Musis simul nostris vale ultimum  
DICTURUS.

GERÆ, TYPIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.





Gregia fanè, amorisq; & clementiæ plenissima appellatio est, quando Principem Patriæ Patrem, ausu non adulatoriò, sed sincerò, atq; candidò, qvi subditos decet, affectu salutamus. Cætera enim cognomina honori data sunt, ait sapiens de porticu, Magnos & Felices & Augustos diximus, & ambitiosæ Majestati, qvicquid potuimus titulorum, congesimus, illis hoc tribuentes: Patrem verò patriæ appellavimus, ut sciret, sibi datam potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaq; post illos ponens. Et Dio illud non ut potestatis, sed ut honoris & cautelæ nomen principibus quondam impositum docet, ut meminerint subditos charitate patriâ diligere, & subditi vicissim debitâ liberis pietate ac reverentiâ prosequi. Neq; verò Regi, ut inquit alicubi Philo, appellatio ulla magis propria, quàm Patris. Quò etiam factum est, ut, quemadmodum observavit Appianus, serius paullò hæc appellatio tribueretur Principibus, nec nisi post prævia magnarum rerum experimenta & singularis clementiæ in subditum gregem documenta. Cæterum perlubenter & subditi hæc salutatione, qvi summæ rerum præerant, officii sui admonere, ac liberorum instar blanditi sunt Principibus, & hi ipsi, certè mansuetiores, nullò acroamate deliniri magis potuerunt unquam, quàm titulò istò, quem præstantissimas boni Principis Virtutes luculenter indicare, omnesq; alios titulos aut transgredi aut comprehendere, noverunt. Atq; hinc dubio procul factum, ut varias apud gentes perquam honorificum hoc nominis genus longinquâ consuetudine receptum fuerit. Certè Romani, gentium domitores, si quos ob insignem clementiam aut & eximia in Rempublicam merita, honestissimò ornare elogiò voluerunt, eos Patres & Parentes Patriæ vocârunt. Sic ingeniosissimus Naso affatur Cæsarem Augustum lib. II. Fastorum:

*SANCTE PATER PATRIÆ, Tibi plebs & curia nomen*

*Hoc dedit: hoc dedimus nos Tibi nomen eqves.*

*Res tamen antè dedit; serò quoque vera tulisti*

*Nomina, jampridem Tu Pater orbis eras.*

*Hoc Tu per terras, quod in æthere Juppiter altò,*

*Nomen habes, HOMINUM Tu PATER, ille Deum.*

Et aliàs eodem librò:

*Et benè nos, benè te, PATRIÆ PATER OPTIME CÆSAR.*

Et ne quis putet, adulanti duntaxat Poëtæ placuisse, id nominis tribuere Augusto; videamus & alium, cujus culpari metuit fides, & qui de S.P.Q.R. id ipsum narrat. Ita verò Tranquillus, quem emendatissimum & candidissimum Scriptorem Flavius Vopiscus vocat, in vitâ Augusti: *Patriæ* cognomen universi repentinò, maximoq; consensu detulerunt Augusto. Nam in curiâ Senatus, per Valerium Messalam, id mandantibus cunctis: Quod bonum, inquit, faustumq; sit Tibi, domuiq; Tuæ, Cæsar Auguste: Senat' te consentiens cum populò Romanò consalutat *Patriæ Patrem.*

Quam

Quàm verò gratus Augusto hic honor, quàmq; acceptus fuerit, effusis ipse lacrymis testatus, ita respondit: Compos factus votorum meorum, Patres conscripti, quid habeo aliud DEOS immortales precari, quàm ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ finem perferre liceat? Quò autem tempore id honoris contigerit Augusto; de eò divortia sententiarum inter eruditos depræhendimus: quæ verò sub incudem revocare opus non est, cum à Norisio Veronensi in illustratione Cenotaphiorum Pisfanorum prolixè pariter ac eruditè id præstitum sit; cujus indicium eruditorum Lipsiensium Acta mense superiori Martio fecerunt. Est fragmentum veteris Kalèndarii, in quo hæc leguntur:

NON. N. CONCORDIÆ  
 IN ARCE. FERIÆ. EX  
 S. C. QVOD. EO. DIE  
 IMPERATOR. CÆSAR  
 AUGUSTUS. PONTIFEX  
 MAXIMUS. TRIB. POTES  
 XXI. COS. XIII. A. SENATU  
 POPULOQVE. ROMANO. PATER  
 PATRIÆ APPELLATUS.

Serò tamen Augustum hoc nominis tulisse, Ovidius jam antè cecinit; & Hadrianus, teste Spartiano, hunc titulum Patris Patriæ sibi delatum initio Imperii, modestè recusavit. Equidem Juvenalis, Satyricâ fretus licentiâ, nominis hujus gloriam invidere Augusto videtur, ipsiq; potiùs Ciceroni tribuere, quasi qui eòdem dignior longè sit, quàm Imperator maximus, Ita enim canit:

*Tantum igitur muros intra toga contulit illi  
 Nominis & tituli, quantum non Leucade, quantum  
 Thessalia campis Octavius abstulit udò  
 Cadibus assiduis gladiò. Sed Roma parentem,  
 Roma PATREM PATRIÆ Ciceronem libera dixit.*

Et mentem Poëtæ vetus Scholiastes his exponit verbis: Roma Cicero- nem Patriæ Patrem dixit non per adulationem, ut Augustum. Hoc nam- que differt ab Augusto Cicero, quia ille armatus, hic pacatus defenderit libertatem & civitatem. Quò de ita Lucanus, Vates ingenti Spiritu:

-- -- -- *Romanimaximus auctor  
 Tullius eloqvii, cujus sub jure togâq;  
 Pacificas servus tremuit Catilina secures.*

Verum etsi, ut fatentur pleriq; omnes Politici, Augustus non semper boni Principis explevit numeros, sed ex Tyranni more, per vim nonnulla egit; ideò tamen blandissimo Patris Patriæ nomine non indignissimus haberi debet. Quicquid enim violentiùs paulò egit, necessitate coactus egit, ut Reipublicæ quies esset. Nam pietate partim erga parentem, indignâ sub- latum nece, partim necessitate publicæ rei, in quâ tunc nullus restabat le-

gibus locus, ad arma capeſſenda civilia non tam ducebatur, quam rapie-  
batur Auguſtus. In bello autem civili virtus & honor & moderatio juſ-  
ſuum facile, & intemeratum quidem, ecquæ ſervabunt? Temporum,  
quæ tunc gravabant ubiq; &, ut maximus auctorum loquitur, ipſa etiam  
pace erant ſæva, iniquitas, niſi ſeverâ lege, emendari ac corrigi nequa-  
quam poterat. Ideoq; cum ad confirmandum Auguſti Imperium, tum  
præcipuè, ad depellendam temporum iſtorum calamitatem, togæ pari-  
ter & ſagi artes in maximò Heroè concurrere, & tanquam amicè conjurâ-  
runt, quarum his æmulos, Antonium in primis & Lepidum, vicit ac pro-  
ſtravit, iſtis verò ſibi ac ſimul feſſæ bellis civilibus Reipublicæ pacem,  
quietem ac robur conciliavit. Plurimum enim potentium de Imperiò cer-  
tamina unius imperiò plerumq; & optimè finiri ſolent. Cæterum ſit Cice-  
ro, & appelletur Patriæ Pater, quia Catilinæ minas & rabiem patriâ e-  
jecit, rei que publicæ libertatem tutatus eſt & quidem non gladiò, ſed voce, non  
telis, ſed verbis, non tormentorum terrore, ſed eloquentiæ vi ac robore:  
Inde tamen colligi non poteſt, Auguſtum honorificò iſthòc nomine  
cenſendum nullatenus eſſe, quia non idem, quod Cicero fecit, nec eò-  
dem modò, quò hic, patriæ tranquillitatem defendit atque aſſeruit. Ne-  
que enim idem ſemper conſervandi rempublicam tempus eſt, ideoq; nec  
idem modus. Laudetur diſertiffimus Romuli Nepotum, quòd pacatè  
egit omnia, quod populo libertatem ſuam, quod Senatui auctoritatem  
reſtituit, pulſò Catilinâ. Non minor profectò Auguſti laus eſt, qui ardu-  
am belli molem ſuis impoſuit humeris, fortiterq; tulit, ac, devictis tandem  
tot, tamq; potentiffimis hoſtibus, ſuffragante dubio procul fati occultâ vi,  
ad id faſtigium eduxit imperii ſtructuram, quod deſtinaverat jam pridem  
ac meditata fuerat admiranda DEI, omniumq; moderatrix rerum Pro-  
videntia. Et quid Ciceroni ad gloriam deſit, ſi, ut perhibetur, primus ipſe  
Romanorum Pater Patriæ indigitatus eſt? Ita enim eundem ſalutat Pli-  
nius, naturæ indagator ille ſolertiſſimus: Salve primus omnium Pater Pa-  
triæ appellatione, primus in togâ triumphum linguæq; lauream merite, & fa-  
cundiæ Latiarumq; literarum parens atq; (ut dictator Cæſar, hoſtis quon-  
dam tuus, de te ſcripſit) omnium triumphorum lauream ad epte majo-  
rem, quantum plus eſt, ingenii terminos in tantum promoviſſe, quam im-  
perii. Primus autem Cicero vocatus ita fuit, ſi Plutarcho & Appiano fi-  
des habenda eſt, à Catone, ſeveriſſimò illò morum cenſore; ſi verò Cice-  
roni ipſi credendum, (& quidni huic, de ſemetipſò loquenti, hæc in parte  
credamus?) à Q. Catulò, ordinis tunc Senatorii principe. Ita enim Ora-  
torum anteſignanus in Piſonianâ: Me Q. Catulus, princeps hujus ordi-  
nis, & auctor publici conſilii, frequentiffimo Senatu, parentem Patriæ no-  
minavit. Et in Seſtiana, me, me ille, ait, abſentem, ut patrem, deploran-  
dum putârat, quem Q. Catulus, quem multi alii ſæpè in Senatu patrem  
Patriæ nominârunt. Quin & idem hic, C. Marium, municipem ſuum eò  
cognomine nuncupaverat in Rabirianâ, quem, inquiring, verè patrem Pa-  
triæ, parentem veſtræ libertatis atq; hujusce Reip. poſſumus dicere. Sic  
igitur

igitur Cicero Patriæ Pater, quia corruptam restituere in integrum Rempublicam studuit: Sit tamen & Augustus, qui corruptissimam & propè nullam correxit, & cum Monarchiâ, quâ non commodior alia imperandi ratio optari potest, commutavit. Cæterum de primatu quâ nomen istud disceptare cum Tullio & Camillus videtur posse & primus gentis illius rex Romulus. Hic enim Parens urbis à multitudine declaratus olim, & ille, prout testatur historiæ Romanæ conditor fide non indignus, T. Livius, Dictator, recuperatâ ex hostibus patriâ, triumphans in urbem reversus, Parens Patriæ, conditorq; alter Urbis laudibus haud vanis appellatus fuit. Ut adeò mirandum sit, quod Ciceronem primum hoc salutatum nomine arbitretur naturæ celeberrimus mytha. Post Ciceronem, sed ante Augustum, Cajus Julius Cæsar, Imperii Romani auctor, hoc maiestus honore est, ut Patris Patriæ salutaretur nomine. In eò autem felicitior hic utròq; est, quod post mortem præcipuè id honoris indeptus fuit, dubiò procul propterea, quòd, donec vivebat, æmulos vel malevolos potius tot habuit, quot numerare non facile licet; vel etiam quia vulgus suâ, quâ est, levitate, eos post mortem vel ad ad astra evehere consuevit, quos vivos nec titivilitiò Plautino dignos æstimavit. Plebs quippè statim à funere solidam Cæsari columnam propè XX. pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitq; PARENTI PATRIÆ. Apud quam & postea sacrificare, vota suscipere, controversias, interposito per Cæsarem iure iurandò, distrahere perseveravit, ceu testis locuples est, quem supra laudavimus, Svetonius. Idem quoq; fatebatur parum sincerus gloriæ Cæsaris fautor, Cicero, nisi quod hanc statuæ inscriptionem ita conceptam esse dixit, PARENTI OPT. MER. eamq; hoc spectare unicè, ut percussores Cæsaris non modò sicarii, sed etiam parricidæ judicarentur. Valer. Maximus eadem isthanc non malè vocat publicum parricidium; ac planè curiam, in quâ occubuit Cæsar, obstrui placuisse, Idusq; Martias Parricidium nominari, ac ne unquam eo die Senatus haberetur, Svetonius sæpè laudatus auctor est. Ut taceamus vetustiores Cæsarum nummos, in quibus Patris Patriæ nomen frequentissimè occurrit & conspiciendum se præbet. Fidem dictis facere possunt nummi Tiberii, quem tamen cognomen illud constanter recusasse Dio & Svetonius tradunt, Neronis item, Vespasiani, Hadriani & aliorum. De cæterò cum egregia isthæc appellatio nimis frequentaretur in vulgus, factum deindè est, ut aliis titulorum lenociniis adularentur Principibus clientes. Etenim omnibus, post Antonium Pium, Imperatoribus Romanis, si excipias Marcum & Lucium Verum, Pii agnomen inditum est; sicut post incommodum illum Commodum Felices dicti sunt nonnulli. Perpetui verò, invicti Triumphatoris, Victoris, Maximi, Sempiterni & alia hujus farinae nomina, quæ servilis adulatio, tunc immane quantum crescens, invenit, circa Diocletiani demum tempora coeperunt usurpari. Hinc cognomen Patris Patriæ usus deniq; nimis aut abolevit, aut mutationi ansam dedit. Namque, Tacito teste, ob insigne factum Cl. Tiberii, Vipsanius Consul retulit, Patrem Senatus appellan-

pe/andum esse Claudium: Qvippe promiscuum Patris Patriæ cogno-  
mentum: Nova in Remp. merita non usitatis vocabulis honoranda.  
Quod & longò post tempore observatum, è Cuspinianò discimus, qui de  
P. Helviò Pertinace Imperatore (quem corruptè Ælium vocat vulgus hi-  
storiarum) refert, quod populus cædem ejus indignissimè ferens, mor-  
tuò, ad vocis usq; defectum, acclamaverit: Pertinace imperante, securi  
viximus: neminem timuimus: Patre pio, PATRE SENATUS, Patre o-  
mnium bonorum. Verùm cum Patris Patriæ appellatione vix dari pos-  
sit alia, quæ meliora ominetur, ideò accidit, ut postliminiò reducta sæpè  
sit, & pio magistratui accommodata. Sic Witikindus Heinricum I.  
post victoriam Hungaricam, & Ottonem nondum Cæsarem, ab exerci-  
tu PATRES PATRIÆ vocatos fuisse, tradit. Et quid hodiernum usita-  
tius est, quàm eos, qui ad clavum Reipublicæ sedent, aut his consiliorum  
& operum coadjutores adstant, Patriæ Patres appellari? Neq; enim ullum  
facile cognomen est, quò admoneri melius cum Magistratus queat, ut,  
quibus præest, eos tanquam liberos amet, tum subdita turba etiam, ut  
Magistratum communis loco parentis colat sincerè, humillimòq; animi  
veneretur cultu. Quòd si autem ullus Principum svavissimò hòc ac glo-  
riosissimò nomine dignissimus fuit: nescio sanè, an dignior alius haberi  
ac dici possit, qui hòc maectetur titulò, temporumq; perennitati commen-  
detur, quàm REVERENDISSIMUS QVONDAM ET SERENISSI-  
MUS PRINCEPS AC DOMINUS, DOMINUS MAURITIUS,  
DUX SAXONIÆ, JULIÆ CLIVIÆ, AC MONTIUM, POSTULA-  
TUS ADMINISTRATOR EPISCOPATUS NUMBURGENSIS,  
LANDGRAFIUS THURINGIÆ, MARCHIO MISNIÆ, ET UTRI-  
USQUE LUSATIÆ, COMES PRINCIPALI DIGNITATE HENNE-  
BERGICUS, COMES MARCÆ ET RAVENSBURGI, DYNASTA  
RAVENSTEINII, BALIVIÆq; THURINGICÆ VICARIUS, PRIN-  
CEPS PIUS, JUSTUS, MAGNANIMUS AC VERE PATER PATRIÆ.  
Adeò omnes numeros OPTIMI MAXIMI PATRIS PATRIÆ exple-  
vit, ut, quem IPSI parem ponamus, non facile, quem EIDEM præfera-  
mus, nusquam reperturi simus. PATER ILLE PATRIÆ fuit, proh!  
fuit in Ecclesiam orthodoxam pietatisq; ac Sapientiæ officinas, quas nu-  
tricis instar benignissimè aluit, fovit, conservavit. PATER PATRIÆ fu-  
it, proh! fuit in turbam infeliciam, quos aut purioris doctrinæ amor in  
exilium abire jusserat, aut orbitas fortunæ ludibriis exposuerat, aut incen-  
diorum truculentia tuguriolis ejecerat, aut alia fors iniquior ac novercans  
vulnere gravi percusserat. PATER PATRIÆ fuit, proh! fuit in omnes  
imperio suo subjectos, sive dicendum incorrupte jus, seu exequendum  
non iniquè, seu temperandum clementiâ esset, pœnarumq; rigor indul-  
gentiâ veniæ mitigandus. PATER PATRIÆ fuit, proh! fuit in omnes,  
quos facili admisit clementiâ, patienti audivit aure, mente non recondi-  
tâ, tectâ ac simulatâ complexus est, ac humanitate singulari dimisit. PA-  
TER

TER PATRIÆ fuit, proh! fuit in salutem omnium publicam, à cujus cervicibus ut pericula, injurias, vim & mala quævis alia depelleret ac profligaret, curis & cogitationibus sollicitè semper evigilavit. Unde colligi non difficulter potest, tantò impatientius per universum Ducatum, singulasq; provincias tulisse pios omnes desiderium extincti Principis, quantò desiderandus magis erat, quem PATREM PATRIÆ amiserant. Neq; verò dolor ingens, quò stupuerunt omnes, sedari ac mitigari potuisset unquam, nisi GLORIOSISSIMUS PATRIÆ PATER reliquisset SERENISSIMORUM FILIORUM TRIADEM PRÆCELSAM, cui regimen ac jus in Ditiones suas transcripsit, ac PATRES PATRIÆ, singulari DEI providentiâ adstipulante, constituit. Abiit igitur, non obiit Divus PATER, MAURITIUS, nec Paterna destituit Providentia Suos, sed copiosè potius beavit, cum subducendo SE Unum, TRIBUS PATRIBUS, Patriam locupletavit. Sacer hic numerus est, mysticus ac DEO gratus. Quin sacer & imposterus Patriæ universæ futurus sit; ecquis tam vanus augur sit, qui animo vel tantillum fluctuetur? Profectò quemadmodum à TERGEMINO hoc GERMINÈ, eoq; adamantinò concordia vinculo firmiter constrictò omnem securitatem ac felicitatem expectat Patria: ita Spes de IPSIS, INCOMPARABILI imprimis PRINCIPE JUVENTUTIS, MAURITIO WILHELMO, ADMINISTRATORE POSTULATO, concepta omni confirmat ratione, EOS tales omninò fore, quales maximè velle & optare debent omnes. Vivant igitur ILLUSTRISSIMI AC SERENISSIMI FRATRES, vivant florentes opibus, felices consiliis, invicti concordia! ILLORUM amorem mutuum ac fidem nulla aut frangat aut perimat vis, nulla corrumpat aut violet fraus, nullus dissolvat dies! Sint verè ac maneat quàm diutissimè PATRES PATRIÆ! Sed quorsum affectus piissimus in SERENISSIMOS PRINCIPES divertit & abripit? Videlicet HI faustis omnibus prosequendi meritissimò jure fuerunt, dum restaurare memoriam BEATISSIMI IPSORUM PARENTIS, LONGE MERITISSIMI PATRIS PATRIÆ, DIVI MAURITII, animo sedet! Ne fas enim sit, incomparabiles Virtutes, & planè communem modum transgressas, quas omnis ætas mirabitur, & immortalis laude vehet, tam citò oblivisci aut planè penitus dissimulare velle. Quod cum secum expenderet ADOLESCENS OPTIMUS AC SPEI EXIMIÆ, JOH. CHRISTOPHORUS Frauendorff/NUMBURGENSIS, de nullò aliò dicendum sibi arbitratus fuit, cum sub discessum ex illustri Ruthenò Nostrò nonnihil verborum faciendum esset, quàm de GLORIOSISSIMÆ RECORDATIONIS DUCE, MAURITIO. Etsi enim pro suâ, quâ est, singulari modestiâ satis intelligit, ad has partes venire non debere, nisi quem divinò atq; incredibili genere dicendi natura ac studium instruxit; veniam tamen mereri posse impetum sperat, cum ab improbitate omni remotus sit, nec ex temerario aliquid trahat. Studet  
nempe

No 3328 A

nempè MAXIMI PRINCIPIS post mortem venerari memoriam, quem  
vivum ipse perindè ac Parentes Sui Optimi PATREM PATRIÆ devo-  
tissimâ animi mente semper coluerunt. Itaque quod in BEATISSIMO  
& INCOMPARABILI PRINCIPE depræhendit Patris Patriæ Instar,  
id Oratione Parentali exponere pro virili non ineleganter nec infeliciter  
contendet. Nam creberrimò dicendi exercitiò eam facultatem sibi  
comparavit, ut non ineptus ad hoc Pietatis humillimæ officium judica-  
tus sit; præterea Eum se Nobis etiam morum probitate, industriâ ac do-  
cilitate probavit, ut IPSI potissimum hanc concedere provinciam con-  
sultum duxerimus. Sanè bonitate indolis, vitæ integritate, & luculento  
in lingvis juxtâ & artibus progressu, omnium apud Nos favorem facile in  
se derivavit, & spem adeò fecit, fore, ut in utilissimum Patriæ suæ Virum a-  
liqvandò evasurus sit. Ut igitur Parentale istud sacrum, cras, DEO cle-  
menter annuente, post preces meridianas in Auditoriò novò publicè in-  
stituendum, ILLUSTRISSIMUS COMES AC DOMINUS, DO-  
MINUS HEINRICUS IV. JUNIORIS LINEÆ RUTHENUS,  
DOMINUS AC COMES à PLAVIA, DOMINUS IN GREIZA,  
CRANNICHFELDA, GERA, SCHLEIZA ET LOBENSTEINIO,  
COMES, DOMINUS AC NUTRITIUS NOSTER GRATIOSISSI-  
MUS, suâ præsentia eminenti illustrius reddere; ut item PLURIMUM  
VENERANDI DOMINI INSPECTORES ET QVICUNQUE  
INTER ERUDITOS nomen profitentur suum, frequenter, juxtâ ac  
benevolè comparere, & SANCTISSIMOS adeò MANES MAURI-  
TIANOS debitâ prosequi pietate ac veneratione velint; id verò est,  
quod humillimè, submissè admodum, humaniter & amicè rogamus.  
Nec injucunda, opinor, erit hæc auscultatio, & ipsa BEATISSIMI DU-  
CIS Virtus efficere poterit, ut hòc officii genere promptè omnes & per-  
libenter defungi velint. Quod restat DEUM rogamus & obsecramus,  
ut Ipse nutantes labantesq; Germaniæ res fulcire ac stabilire clementer,  
& instigare summas Potestates benignè velit, ut recordentur omnes, se  
PATRES PATRIÆ esse, atque ad se pertinere, si proximus ardeat Uca-  
legon! Prosperos Valedicturo Viales & felicia quævis omnium nomi-  
ne metro Heroico apprecabitur Nobilissimus Adolescens BAL-  
THASAR HEINRICUS von Rischwiz / Eq. Var. P.P.

Gerae inante Kalendas Augusti A. O. R.

M. DC. LXXXIII.



1077

21



D. 17, 20

X 2002401

Xa  
3398

# INCLYTUM PATRIS PATRIÆ INSTAR,

IN  
REVERENDISSIMO QUONDAM ET SERE-  
NISSIMO PRINCIPIS AC DOMINO,

DN. M  
DUCE SAX  
MONTIUM,  
SIS ADMINISTRA  
RINGIÆ, MARCHE  
TIÆ, COMITE I  
MARCÆ ET R  
NII, BA

TIO,  
CLIVIÆ AC  
UMBURGEN-  
NDGRAFIO THU-  
RIUSQUE LUSA-  
GICO, COMITE  
A RAVENSTEI-  
NGIACÆ

ORATI

NTALI

GRATIOS  
FREQ  
ILLUSTR

AMQVE ET  
IONEM  
ITEM AC

DN. HEI  
JUNIORIS LINEÆ  
A PLAVIA, DO  
GERA

VARTUM,  
EM AC DOMINUM  
NNICHFELDA,  
EINIO,

DNN.  
OMNESQVE, QU  
MOS, SPEC  
*humilitate, obse*

RES,  
ROS ERUDITISSI-  
NTISSIMOS,  
*â decet ac par est,*

M. JO. FI

DEBERUS,

JO. CH

uendorff/

NUMBURGENSIS,  
Musis simul nostris vale ultimam  
DICTURUS.

GERÆ, TYPIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.

